



# P O L Y A N T H E Æ

## NOVÆ LIBER XX.

Z.

### Zelotypia.

#### DEFINITIO ET ETYMOLOG.



**Z**ELOTYPYA Græca dictio est composita à ζῆλος, id est, æmulatio, & τύπος, id est, forma Hebræica *Kineab*, vide *Zelus*. Est autem ægritudo animi, ex coproueniens, quod timeat, ne adsit alteri, quod cum nemine velit habere commune. *Secundum Chrysostomum.*

#### LOCI BIBLICI.

Zelotypia duplex: *Vna*, cum nostri causa diligimus, ideoque non possumus riualem pati: ut assentatores, qui in actis principum degunt, nec principis commoda proprie querunt, sed quatenus cum sua ipsorum utilitate sunt coniuncta, ideoque id vnam sollicitudinem student, ut cæteros, quantumuis principi viles arceant, quo videlicet ipsi ex eo soli maiorem utilitatem capiant. Hoc vero non est principem, sed seipsum amare. Itaque istorum amor tum euanescent, cum sublata est illius causa, id est, cum ea est principis conditio, ut nullum commodum amplius ab eo expectent. *Alter* Zelotypia profus est illi contraria, cum amicos ipsos rei honestæ causa in illis amandis spectamus: ideoque non modo soli nolumus diligere, sed potius quam plurimos sinceros amicos illis cupimus conciliare, quod eorum commodis magis quam nostris ipsorum delectemur, qui demum verus & honestus ac perpetuus est amor: illam Zelotypiam tribuit Paulus Pseudoapostolus, *Gall. 4. 17.* ut qui sui commodi causa Galatas diligere, ideoque summo studio niterentur Paulum, ut riualem, excludere. Hanc vero sibi tribuit, *2. Corinth. 11. 2.* ut qui rei honestæ causa Corinthios dilexerit, id est, non lucri aut gloriæ studio, sed Dei Zelotypia, ut ibidem appellat Zelotypiæ lex, *Num. 5. 9. 14. 15.* Zelotypia spiritualis bona, *Exemplum*: Paulus, *2. Corinth. 11. 2.* Zelotypia spiritualis mala, *Exempla*: Pseudoapostoli, *Gall. 4. 17.*

#### APOPHTHEGMATA.

*C. Sulpitius* uxorem suam repudiavit, quod aperto capite ædei egressa esset: Lex, inquit, tibi meos vnius oculos præfinit, quibus formam tuam approbes, his ornamenta comparato, his esto speciosa, non aliorum oculis placens. *Erasm. lib. sexto apoph.*

*Alphonsus* dicebat, ita demum matrimonium tranquille exigi posse, si vxor cæca, maritus autem surdus fiat. Innuit autem foemineum genus esse zelotypiæ obnoxium, & hinc oriri rixas & querimonias & rursus marito molestam esse vxoris garrulitatem, qua molestia cariturus est, si fiat surdus. *Erasm. libro sexta apoph.*

Mulieribus innatus morbus Zelotypia. *Helioid. lib. 7.*

#### SIMILITUDO.

*Chrysostomi.* Rex quicquid aduersus regnum suum putauerit totum verum æstimat. Animus eius semper suspectus est, regni zelo repletus. Dum omnia timet, omnia suspicatur, facile credit, quicquid fuerit suspicatus. Sicut vir si zelet uxorem, aut vxor virum, omnem auditionem turpem credit de illo, etsi non sit audiui digna, & idonea ut credatur, tamen fidem auditionis zelus commendat. *In c. 2. Matth.*

#### PROFANA EXEMPLA.

*Idas & Lynceus, Arueres & Aphareus filii*, pro Leucippi filiabus Phœbe & Ilaira, aduersus Castora & Pollucem prope Spartam dimicauerunt: in quo congressu perit Castor: Polluci autem profuit immortalitas. *Theat. Zuing.*

*Persa* in amatoribus graui æmulatione præditi sunt ut non ille modo, qui appellauerit & attigerit regis pellicem verum etiam qui propius in itinere præterlatus fuerit & præteruectus, quibus portantur plaustra, capite luat. *Plut. in Artax.*

Excandescit *Catullus* in Gellium riualem, ut puellæ suæ furem; Idem ægre fert, Gellium sibi ob pulchritudinem à Lesbia præpositum, ubi ait.

*Gellius est pulcher, quidni? quem Lesbia malit:  
Quam te cum tota gente, Catulle, tua.*

*Circe* venefica ægre ferens Scyllam Nympham a Glaucio amari: fontem (in quo se lauabat) infecit veneno, cuius virtute Scylla in monstrum marinum mutata est. *Theat. Zuing. fol. 114.*

#### HIEROGLYPHICA.

Sunt qui per *Camelum Zelotypiam* significant: propterea quod animalia reliqua, tempore, quo rei veneret cupidine, vel rabie potius incitata, gestunt, in suum tantum genus seuiunt: Camelus autem in hominem etiam atque in vnumquodque aliud animal efferscit, & vsque ad eo sibi timet ab omnibus: ut solitudines petat: & id tempus ab omnium consortio separatus, solam foeminam affectetur. *Pier. Val. lib. 2. p. 117. a.*

### Zelus.

#### BIBLICI LOCI.

**ZELVS**: *Primo*, significat honestum illud & laudabile studium, quo accendimur ad alicuius virtutes imitandas aut etiam superandas, sine vilo tamen ipsius odio, *1. Corinth. 12. 13. & 14. v. 1. 12. 39. 2. Corinth. 9. 2. Gal. 4. 18. Tit. 2. 14. Secundo*, inuidiam ac liuorem, *A. 5. 16. & 7. 9. & 13. 45. & 17. 5. Rom. 13. 13. 1. Corinth. 13. 3. & 13. 4. 2. Corinth. 12. 20. Gal. 5. 20. Iac. 3. 14. & 14. & 14. 12. Tertio*, accipitur pro sancta quadam zelotypia, quæ non proficiscitur à cuiusdam odio, verum ab eorum amore quos non nostri, sed ipsorum potius causa amamus, *2. Cor. 11. 2. Quarto*, pro sui ipsius amore, cui sancta illa zelotypia prætextitur, *Gal. 4. 17. Quinto*, pro animi æstu ex indignatione de his concepta quæ indigne fiunt aduersus eum quem amamus, puta vel aduersus homines nobis charos, *2. Corinth. 7. 7. Coloss. 4. 13.* vel aduersus Deum ipsum. Est autem hic zelus duplex: *Vnus*, nimirum, cum voluntatis Dei cognitione, ac vera in eum fide coniunctus, qualis est Christi zelus, de quo agitur, *Ioan. 3. 17.* item qui commendatur, *2. Cor. 7. 11. & Apocalyp. 3. 17. Alter* vero, qui non est secundum scientiam, & cæcus potius impetus ac furor dici debet ut *Roman. 10. 2. Philip. 3. 6. Act. 21. 20. & 22. 3. Gal. 1. 14.* Hinc demum sexta significatio orta est: cum *Zēlos* ad ignis ardorem transfertur, ut *Hebr. 12. 27.* zelus bonus & sanctus commendatur, *Eom. 12. 11.*

Zelus, ζῆλος, Hebr. *Kineab*, a verbo *Kinne*, æmulatus est, pro, uocauit, zelum habuit, vel ex inuidia, vel ex amore indignatus est, ægrè, tulit. Hinc *ἀζανακτιω*, indignor, stomachor. *Kanno*, zelotes, æmulator, qui ægrè fert iniurias. *Gall. Laloux*, q. d. *Zalous*, *Zalousi* Zelo corruptus.

#### PATRVN SENTENTIAE.

Si videris ethnicum vitæ temperatæ, & reliquæ morum honestatis studiosum supra te, tuum etiam studium intende, ut fias